

rum cherubinatorum: assistebant enim arcæ, et explicabant quincubitales alas, eâ ratione ut exteriores utrumque attingerent oraculi parietem, interiores se mutuò contingerent, ita ut mediam arcam suâ veluti adumbratione tangerent. Illorum autem faciem conversam esse ad exteriorem domum, id est, ad orientalem plagam, c. 5 Par. v. 13 docet: *Facies eorum erant versæ ad exteriorem domum.* Hi porrò cherubini statuaria opere perfecti sunt ex oleaginâ materiâ, qui hæc, ut auctor est Vitruvius, neque cariem sentit, neque vetustate corrumpitur, cui inductæ sunt aureæ laminæ, ut in totâ domo nihil appareret, nisi aureum.

Antequam ex his cherubinis emergat commentatio, statuamus oportet discrimen, quod inter illos interest, quos in tabernaculo Moyses, et eos quos Salomon in templo fabricari iussit. Primum illi Mosaici fuerunt ex auro solido ac ductili, et accommodati ad tabernaculi angustias minoris multò molis; deinde habitu corporis longè diverso, stabant adversis vultibus mutuò se spectantes in extremis adversisque partibus propitiatorii atque arcæ, alis quidem extensis, non tamen ita ut altera parietem, altera alterius alam attingeret, sed utraque tangebatur utramque, et medium amplectebatur et obumbrabat propitiatorium. At cherubini Salomonis denis erant cubitis alti, et oleaginâ materiâ, aureis tamen laminis inclusâ, neque se adversis intuebantur vultibus, sed obversi ad exteriorem basilicam, orientalem intuebantur plagam, et alis aliter extensis, altera tangebatur consortis alam, altera parietem templi. Salomonis cherubini satis hic apertè describuntur. De Mosaicis habet Exod. cap. 25, vers. 18: *Duos quoque Cherubim aureos et productiles facies ex utràque parte oraculi, Cherub unus sit in latere uno, et alter in altero; utrumque latus propitiatorii tegant expandentes alas, et operientes oraculum, respiciantque se mutuò versis vultibus in propitiatorium, quo operienda est arca.* Quod autem hic fieri præcipitur, id factum ostenditur postea cap. 38, v. 7.

VERS. 29. — ET OMNES PARIETES TEMPLI PER CIRCUITUM SCULPSIT VARIIS CÆLATURIS, ET TORNŌ, ET FECIT IN EIS CHERUBIN, ET PALMAS, ET PICTURAS VARIAS QUASI PROMINENTES DE PARIETE ET EGREDIENTES. De utràque domo isthæc accipio, quæ variis à Salomone modis cælata est. In picturis variis, varia item ornamenta contineri puto, qualia in principum aulis spectamus et in templis, in quibus varia spectantur emblemata et ingeniosorum cperum argumenta, in quibus

flores numero et plantas, tum etiam animalia, quæ aliis in locis ad templi, seu sacræ supellectilis ornatum exprimuntur. De quibus postea pluribus cap. sequenti. Numerantur autem præcipuè cherubini et palmæ; in illis, opinor, cœlestes spiritus intelliguntur, qui toti sunt in divinis laudibus, in his Israelitæ, quorum studia eò spectare debent, ut cherubinis in eo laudandi conatu sint quàm simillimi. Porrò palmam symbolum esse Judææ probat et ipsa loci natura, quæ palmis abundat, et palmæ ipsius nobilitas, quæ symbolum esse debuit regionis omnium nobilissimæ, de quâ Ezechia cap. 20, v. 6: *Quæ est egregia inter omnes terras.* Vide quæ nos ad illum locum de terræ promissionis bonitate, atque fecunditate. Sanè Vespasianus imperator suam de Judæorum populo victoriam, in palmâ quasi jam domitâ expressit, ad cujus radices sedebat femina habitu captivæ et vulgus lugubri. Hoc symbolum passim in Vespasiani numismate videmus. Hæc porrò cælaturæ sic sunt efformatæ in abiegnâ cedrinâque materiâ, quas etiam exprimunt ex auro super inductæ laminæ, ut extare videantur è tabulis, et ex pariete prodire, quod Hispani dicunt *de talla, o relieve.*

Illud hic difficile, quomodo possit torno in sculpendâ materiâ ullus esse locus, cum tornari non possit materia, id est, in gyrum volubili circumactu converti; ubi Vulgatus torno, Hebr. est *micleah*, quæ etiam vox supra reperitur v. 18. Ubi noster interpretes reddidit *tornaturas*, alii aliter atque aliter, ut eo loco diximus, vocem hanc convertunt. Quidam *fundam*, alii ova, alii poma, alii colocynthidas. Noster ibi optimè *tornaturas*, et hic *torno* reddidit, quia poma, ova, colocynthidæ, et similia torno plerumque efformari solent, quia hæc rotunda sunt, et ut illam globosam speciem assumant, in orbem assiduâ circumductione versantur. Qui *fundam* verterunt, id in eâ voce spectarunt, quòd funda, cum ejaculatur lapidem, in gyrum prius circumducitur, et quasi rotatur circa caput, et ideò ab eadem radice, à quâ בוקלעה dicitur קלע. Ego hoc loco illa puto significari hic in *torno*, quæ superiori loco in *tornaturis*. Sed in utroque loco difficile est statuere, quomodo illæ vocari possint *tornaturæ*, aut hæc *elaborata, aut tornata, perfecta torno*, cum fieri posse non videatur, ut à torno tabulæ aliquam cælaturam accipiant.

Ego à viris ejus artis peritis, quos eâ de re consului, didici orbiculatas figuras *toreuticæ*, id est, tornariâ operâ in tabulis tornari ac rotundari

posse. Et quidem verbum Græcum *τορεύω*, quod propriè tornare valet, nonnunquàm propter vicinitatem *sculpo* etiam significat, ut nôrunt, qui vel mediocriter græcè sciunt: unde *τορευμα* dicitur opus quoddam à Phidiâ egregio sculptore perfectum, non torno, sed cælo. Mart. lib. 4, Epig. 39:

Solus Phidiaci toreuma cæli.

Idem lib. 3, epig. 31, in Phidiæ *toreumate* pisces describit. Adde quòd tornus etiam idem nonnunquàm valet, quod *cælum*, aut *scalprum*, aut aliud quodcumque instrumentum fabrile. Sanè torno elaboratam esse vitem in poculo, canit Virgil. eclogâ 3:

*Fagina, cælatum divini opus Alcimedontis,
Lenta quibus torno facili superaddita vitis
Diffusus hederâ vestit pallente corymbos.*

VERS. 30. — SED ET PAVIMENTUM DOMUS TEXTIT AURO INTRINSECUS ET EXTRINSECUS. Pavimentum supra v. 15, tectum fuisse dicitur abiegnis tabulis: nunc autem addit inductas esse hisce tabulis aureas laminas, idque non solum intrinsecus, id est, in interiori domo, seu oraculo, sed etiam extrinsecus, id est, in templo aut exteriore basilicâ. Ex quo apparet nihil esse in utràque domo, quod non splenderet auro, quia præter aurum nihil apparebat exterius.

VERS. 31. — ET IN INGRESSU ORACULI FECIT OSTIOLA DE LIGNIS OLIVARUM, POSTESQUE ANGULORUM QUINQUE. In sequenti versu duo oraculi describuntur ostia de lignis angulorum quinque miris modis ornata, cherubinis videlicet et palmis, et aliarum rerum imaginibus è tabulâ extantibus, quæ vocat anaglypha. In his porrò totidem addidit ostiola, item pentagona, id est, quæ quinque quemadmodum postes habuerunt angulos, sicut in antiquis operibus aliqua nunc etiam videmus. Sunt autem *anaglypha* cælaturæ asperæ, et eminentes è plano, quales sunt flores, et plantarum, et animalium expressæ figuræ, quibus, ut diximus, utraque domus erat ornata. (1)

VERS. 35. — FECITQUE IN INTROITU TEMPLI

(1) VERS. 32. — ET DUO OSTIA DE LIGNIS OLIVARUM, ET SCULPSIT IN EIS PICTURAM CHERUBIM, ET PALMARUM SPECIES, ET ANAGLYPHA VALDE PROMINENTIA; q. d. : Salomon in ingressu oraculi, id est, Sancti sanctorum, fecit duo *ostiola*, id est, parva ostia ex eisdem lignis, eaque pentagona, id est, quinque angulos et totidem postes habentia; atque in eis exsculpsit effigies Cherubinatorum, palmarum et *anaglypha*. Anaglypha vox est Græca, significans imagines et picturas è superficie parietis tabulæ vel ostii extantes et prominentes. (Corn. à Lap.)

POSTES DE LIGNIS OLIVARUM QUADRANGULATOS. De ostiis templi jam agit, id est, exterioris basilicæ, quæ dicitur *Sancta*, ubi quatuor constituit angulos, cum quinque posuerit in ostiis atque ostiolis oraculi. Quod sine dubio arcano aliquo sacramento non vacat: quinarius enim angulorum numerus qui ad Sancta sanctorum, id est, ad Dei arcana sacramenta, et in adyta atque inaccessa sacraria deducit, per quinque vulnera aperit ingressum. Quis enim cœli porta nisi Christus? Sanè ipse Joan. cap. 10, ostium se esse dicit; quare ille ut mystici illius sacrarii figuram impletet, quinque angulorum stigmata notari debuit.

VERS. 34. — ET DUO OSTIA DE LIGNIS ABIEGNIS ALTRINSECUS, ET UTRUMQUE OSTIUM DUPLEX ERAT, ET SE INVICEM TENENS APERIEBATUR. Duo hæc ostia, quæ esse diximus in ingressu exterioris domus, se invicem spectabant *altrinsecus*, et seipsa complexa obstruebant aditum his, quos arcere oportebat, divisa illum aperiebant templum ingressuris. In quolibet autem illorum alterum erat ostiolum, ita alteri insertum et inclusum, ut in unum aliquid cum altero coaluisse videretur; adeò ut se mutuò tenerent, neque cum aperirentur simul esse desinerent: nam ostiolum, quod in alterius volvitur complexu ac sinu, ab eo non divellitur, neque ostium majus, cum sese laxat et aperit, alterum dimittit. Hanc meam cogitationem firmat Ezechiel cap. 41, v. 23: *Et duo ostia erant in templo, et in sanctuario, et in duobus ostiis ex utràque parte bina erant ostia, quæ in se invicem plicabantur.* Plicari autem inter se ostia cum ostiolis idem esse puto, quod in uno ostio duo esse ostia; quemadmodum in animali foeto duo sunt animalia, et ideò hic ostium dicitur duplex, et duo ostia à seipsis vicissim teneri, quia inter se plicantur. Abulens., q. 19 Historiæ scholasticæ, Ribera de Templo cap. 10, alium excogitârunt modum, aptiorem fortassè; sed nescio quomodo placere mihi nunquàm potuit, sicut aliis fortassè majori suo merito hæc mea cogitatio non placebit.

VERS. 35. — ET SCULPSIT CHERUBIM, ET PALMAS, ET CÆLATURAS, etc. Sicut utramque domum tabulis obduxit abiegnis et cedrinis, ex quibus varias eduxit rerum species, quas laminis ex auro solido vestivit; sic etiam portas eodem cælavit modo atque ordine, nisi quòd anaglypha illa, seu cælaturæ, multò magis eminebant è tabulâ, et cum alibi de laminarum formâ dictum esset nihil, nunc ad regulam dicuntur esse quadratæ, studio videlicet magis accurato.

Cujus rei ea potuit esse gravis, et sola fortassè ratio, quia neque omnibus licuit in exteriorem tabernaculi partem ingredi, et in interiorem uni tantùm sacerdoti maximo, idque semel in anno. Quare his, qui ab ulteriori arcebantur ingressu, ex ipsâ templi, oraculique fronte ostendendum fuit, qualis existimari posset cultus, et species interior.

Antequàm exeamus à templo ad sacerdotale atrium, de quo statim, addamus oportet quæ omissa fuerunt ab scriptore sacro et addita ab eo qui Paralipomenon libros concinnavit. Primum omissum fuit velum, quod extensum fuit ante murum illum medium, qui interiorem domum ab exteriori discludit. De quo Exod. cap. 26, vers. 31; hoc autem velum pulcherrimum erat materiâ versicolore artificiosè contextum. De quo iisdem propè verbis Exod. 26, et lib. 2 Paralip. cap. 3: *Fecit quoque velum ex hyacintho, purpurâ, cocco, et intexuit ei cherubim.* Habuisse præterea figuras alias, quas in templi lateribus ac foribus dicebamus, ex eo liquet, quia in eo opere plumario, id est, Phrygio mira in velo dicitur, aut sutili, aut textili opere addita varietas: *Facies, inquit, et velum de hyacintho, purpurâ, coccoque bis tincto, et bysso retortâ opere plumario, et pulchrâ varietate contextum.* Hoc autem velum in tabernaculo Moysis ex quatuor columnis suspendebatur de lignis settim. In templo fortassè Salomonis alia ratio fuit, quia stabilis erat, et firmus murus, qui velum illud multò quàm columnæ meliùs suspendere ac sustinere posset; sed de hac re mox.

De his autem coloribus, qui velum istud variant atque distinguunt, alii pluribus agunt: nos hic paucis. Hyacinthus color violaceo est atque cœlesti similis, qui etiam dicitur ianthinus, quo succo imbutâ lanâ maximo olim in pretio habebatur. Purpura non unius est, aut simplicis coloris, quæ aliquid interdùm obscurius, et aliquid violaceo simile objicit, quæ quia piscium quorundam imbuitur sanguine, quorum ad illud infectorium opus non eadem est vis ac natura, fit ut neque semper idem sit color, et aliter atque aliter pro diversâ sanguinis proprietate rubeat. Fuit autem purpura, quâ in tingendâ lanâ utebantur Hebræi, omnium nobilissima, quia à Tyro adducebatur, civitate proximâ, quæ maximo propter suum nitentem atque hilarem splendorem, apud omnes gentes habebatur in pretio. Quare qui Tyriam dixit purpuram, nihil potuit in eo genere dicere nobilius. Hæc autem etiam *Sarrana*

dicitur, vox quæ ab Hebræâ radice originem habuit. Tyrus enim Hebr. *ṭyrs* sor appellatur.

Coccus aliud est purpuræ genus, quod tamen non imbuit conchyliorum sanguis, sed granum quoddam arbusculæ, quæ auctore Plinio lib. 16, cap. 18, *cuscutium* appellatur, cujus in Hispaniâ maxima vis. Coccus autem græcè *κόκκος*, granum significat. Hic autem coccus bis dicitur esse tinctus, priùs in vellere antequàm lana duceretur in fila; deinde iterùm ipsa filamenta, aut textus ipse è prioribus filis. Id porrò usitatum esse etiam apud alios, probat nomen *δίβαφα*, seu *δίβαφος*, quæ vox bis tinctum valet, quam non vulgò homines, sed qui sunt in magistratu induunt. Byssus genus est lini tenuissimi, cui eximius inest candor. De quo nos in nostris commentariis super Ezechielem ad illud cap. 16: *Et cinxi te bysso.* Ubi ostendimus, contra quàm aliqui opinati sunt, candidam esse byssum, et nullo modo rubeam.

VERS. 36. — ET ÆDIFICAVIT ATRIUM INTERIUS TRIBUS ORDINIBUS LAPIDUM POLITORUM, ET UNO ORDINE LIGNORUM CEDRI (1). Hoc atrium sacerdotale est, quod erat adjunctum templo; imò quod suo complexu templum continebat: constructa autem fuisse alia præterea atria, de quibus pluribus egimus in Ezechielem à cap. 40, probat illud, *interius*, quod planè indicat alia fuisse atria exteriora. De hoc autem atrio breviter agit hic sacer historicus, cum tamen in eo sint non pauca, quæ et difficultatis habent plurimùm, neque indigna sunt spectatu atque cognitu. Multa hic de tribus hisce ordinibus dicuntur à multis, quæ hic referre longum esset. Tantùm dicam singulos ordines non esse spectandos in singulis lapidibus, ita ut non sit atrii illius altitudo major, quàm quæ à tribus lapidibus ordinatè positis, et ab uno cedrorum ordine, qui tantumdem occupet spatium, quantum lapis unus implere possit; nimis enim esset demissus murus ille, qui interius illud atrium circumfundit et munit. Neque aut imposita aut interjecta cedrus satis muro firmitatis adderet. Puto ergo hæc tria significari tabulata, seu contignationes, quibus totidem sunt additæ deambulationes suffultæ columnis, quorum duo primi ordines è lapide sunt pretioso,

(1) Allegor. Atrium representat vitam incipientium Deo servire, Sanctum vitam proficientium, Sanctum sanctorum verò perfectorum; unde in atrio erat altare holocaustorum, quod significat mortificationem cupiditatum, et mare æneum sive lavacrum, quod symbolum est pœnitentiæ. (Corn. à Lap.)

et egregiè polito; tertius verò è cedro, sicut aliæ quoque columnæ, quæ, sicut ex capite sequente constabit vers. 2, è materiâ cedrinâ dolatæ sunt. Seu certè, quod magis probò, ex tribus contignationibus erat ex cedro suprema, cum inferiores duæ essent ex lapide, ne si etiam foret è lapide, tantum pondus inferiores contignationes sustinere non possent; sicut statim cap. 7, v. 3, tabulatis, id est, contignationibus cedrinis, vestita dicitur esse camera Salomonis domus: *Et tabulatis cedrinis vestivit cameram, quæ quadraginta quinque columnis sustentabatur* Hebr.: *Et tecta in cedro desuper super costas.* Tigurina: *Contabulatumque fecit cedrinum supernè.* Id mihi colligere posse videor ex Ezechiele cap. 42, v. 3, ubi idem atrium sacerdotale describitur, ubi tres dicuntur esse porticus tribus cubiculorum ordinibus instructæ, ubi certis cubiculorum, seu gazophylaciorum ordo dicitur esse humilior, v. 5: *Ubi erant gazophylacia in superioribus humiliora.* Hæc ego timidè non tam affirmo, quàm conjecto, quia res est obscura, neque ab architectonicâ, cujus sum ignarus, aliquid habere possum subsidii. Hæc de re vide nostrum Villalpandum tom. 2, lib. 5, cap. 9, ubi de hoc loco accuratè et fusè. Mihi satis fuerit ex hisce vepretis utrumque erepsisse. Qualiscumque sit hic ordo, idem servavit iterùm Salomon dum suam domum ædificaret, ut constat capite sequenti, versiculo 12.

VERS. 38. — ANNO QUARTO FUNDATA EST (1)

(1) Allegor. Radulphus in Præfat. lib. 17 in Levit.: *Templum Salomonis, inquit, septem annis, et septem mensibus, constructum est, quia à Christi adventu usque ad ejus reditum ad judicium per septiformem Spiritus gratiam Ecclesia construitur, donec in fine consummetur, idque fiet toto hoc seculo quod septem dierum cursu peragitur, ait Eucher.; sic et Angelom. (Corn. à Lap.)*

CAPUT VII.

1. Domum autem suam ædificavit Salomon tredecim annis, et ad perfectum usque perduxit.

2. Ædificavit quoque Domum Saltus Libani centum cubitorum longitudinis, et quinquaginta cubitorum latitudinis, et triginta cubitorum altitudinis, et quatuor deambulacra inter columnas cedrinis; ligna quippe cedrina exciderat in columnas.

3. Et tabulatis cedrinis vestivit totam cameram, quæ quadraginta quinque columnis sustentabatur. Unus autem ordo habebat columnas quindecim,

4. Contra se invicem positas,

5. Et è regione se respicientes, æquali spatio inter columnas, et super columnas

DOMUS DOMINI IN MENSE ZIO. ET IN ANNO UNDECIMO MENSE BUL (IPSE EST MENSIS OCTAVUS) PERFECTA EST IN OMNI OPERE SUO. Cùm anno Salomonis quarto mense secundo ædificari cœperit domus Domini, et anno ejus undecimo, mense octavo consummata fuerit, consequens est, ut in eâ fabricâ septem fuerint anni consumpti. Tantùm enim temporis inter annum quartum et undecimum interjectum est; insuper sex menses, quot sunt à mense secundo, in quo cœptum est opus ad mensem octavum, in quo finitum est. Sed illi sex menses hic omissi sunt, quia ab anni mensurâ, id est, à perfecto numero deficiunt. Est enim usitatum in Scripturâ sacrâ, ut imperfecti numeri, sive perfectum excedant, sive ab eo deficient, omitantur; simile omninò habuimus exemplum in Davide, qui cùm lib. 5 Reg. cap. 2, v. 11, dicitur septem annos regnasse in Hebron, lib. tamen 2 Reg. cap. 5, v. 15, regnasse traditur annos septem et menses sex. Hoc itaque spatium tam ampla atque luculenta templi moles, quàm omnia instrumenta ad sacrum ministerium perfecta sunt. Mensis octavus, qui nostro respondet octobri, quique aliter appellatur *Marchesuan*, ideò ab Hebræis dicitur *Bul*, ut nonnulli putant, quia tunc solent pluvie frequenter contingere, à voce *Mabul*, quæ diluvium significat, à quâ etiam notatione à Chaldæis vocatur *Marchesuan*.

tum est, quia à Christi adventu usque ad ejus reditum ad judicium per septiformem Spiritus gratiam Ecclesia construitur, donec in fine consummetur, idque fiet toto hoc seculo quod septem dierum cursu peragitur, ait Eucher.; sic et Angelom. (Corn. à Lap.)

CHAPITRE VII.

1. Salomon bâtit et acheva entièrement son palais en treize ans.

2. Il bâtit encore le palais appelé la Maison-du-Bois-de-Liban, qui avait cent coudées de long, cinquante coudées de large et trente coudées de haut. Il y avait quatre galeries entre des colonnes de bois de cèdre; car il avait fait tailler des colonnes de bois de cèdre.

3. Et il revêtit de lambris de bois de cèdre tout le plafond, qui était soutenu par quarante-cinq colonnes en trois rangs. Chaque rang avait quinze colonnes,

4. Qui étaient posées l'une vis-à-vis de l'autre,

5. Et se regardaient l'une l'autre, étant placées à égale distance. Et il y avait sur les